



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 199. Achmetis Turcarum Imperatoris obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Optimates & promiscuæ plebis quam plurimos multiplici fraude circumventos, cum Christum ejurare abhorrent, alium alibi necari seorsim jubebat. Alii vero hujus gentis Christiani, præcipue Nobiles, relicta patria, fortunisque suis potius exilium subire, quam a vera fide deficere maluerunt. Nec minus in fide constantes sese exhibuerant hujus gentis Matronæ, quas inter præcipue eminuit Catharina Gurlianorum Regina, quæ a Schach - Aba Tyranno comprehensa, folio Regio deturbata, ad Religionis defectionem impulsam, & pœnis, illecta blanditiis, ac denique crudelissimis lacerata tormentis, animantibus ipsam Eremitis Augustinianis, martyrii coronam accipere promeruit.

Sæc. XVII.

A. C. 1617.

§. CXCIX.

Achmetes Turcarum Imperator mortuus.

Interim Turcæ, ut se de Cosaccorum excursionibus ulciscerentur, facta in Podoliam irruptione, omnia incendiis & rapinis infesta reddiderunt, secum in captivitatem abstractis quamplurimis Minitabantur etiam, ni Sigismundus Poloniæ Rex de Cosaccis e Turcica ditione evocatis pœnas sumeret, in

*Merc. Gal-**lob. tom. 12.**l. I. tom. II.**lib. 4.**Mem. Istoric.**l. II. di Giov.**Sagredo.*

X x 4

Polo-

Sæc. XVII. Poloniam irrupturos, expetitis in opem
A. C. 1617. a Gabriele Bethlenio Transylvaniae Du-
 ce aliquot millibus: quocirca Rex, ut
 adversus eorum incurfus se tueretur,
 cuncta necessaria parare cogebatur; jam
 enim Tartaris juncti in Poloniae fines
 irruerant, pagosque & vicos quam-
 plurimos diripuerant. Pariter Hun-
 gariam infestis excursionibus devasta-
 bant, eoquod Hungari sexaginta Pa-
 gos ad Strigonium spectantes eisdem
 cedere renuerent. Unde Heiducci, ut
 vicem rependerent, Agriam versus ex-
 currentes, Turcarum agmen tanta vi
 aggressi sunt, ut ex sexcentis vix di-
 midia pars, arrepta fuga, ad suos re-
 verteretur: Parta hac victoria Hun-
 gari Gratiano Turcarum Legato signi-
 ficabant, quod de tradendis Pagis nul-
 lam ultra mentionem faceret, cum po-
 tius vitæ, bonorumque jacturam face-
 re, quam in Turcarum potestatem sub
 falsa pacis specie Pagos, quos armis
 expugnare non poterant, eisdem ce-
 dere, parati essent: Insuper Turcæ
 præter Constantinopolin incendio fœ-
 datam ingens quoque damnum in mari
 Mediteraneo perpessi sunt, navibus no-
 vendecim, quibus tributum ex Africa
 ferebatur, tempestate submersis. His
 igitur calamitatibus, ac curarum mo-
 lestiis confectus, ac Venereis volupta-
 tibus

tibus exhaustus Achmetes Constanti-
nopoly die decima quinta Novembris
anno ætatis trigesimo, Imperii decimo
quinto obiit. Erat Princeps plurimum
de se præsumens, crudelis, scientia-
rum rudis, Ministrorum mancipium,
multa mente volvens, nihil decernens,
amplaque fovens consilia, quæ tamen
nunquam exequendo par erat.

Sæc. XVII.
A. C. 1617.

§. CC.

*Mustapha Achmetis Frater in Tur-
cico solio successor.*

Enimvero Achmetes præter Sultanam
gente Circassidem, pellices habe-
bat circiter quadringentas, ex quibus
filiorum ejus numerus haud exiguus
educabatur, eorum tamen natu maxi-
mus Osmanes nomine, nonnisi duode-
cimum ætatis annum injerat. Hunc
Achmetes Imperii Successorem jam
antè hac designaverat, donec vero in
Imperii curas & ætatem Osmanes ado-
lesceret, Pater moribundis pœne jam
vocibus Mustapham Osmanis Patrum
in Regni Administratorem nominabat.
Hic idem Mustapha post Patris sui Ma-
hometis III. obitum ab Achmete fratre
suo, in custodiam conditus fuerat, in
qua quartum decimum jam trahebat
annum, quando vicarium ad Regimen

*Arth. Dan-
tisc. tom. 12.
l. 1. p. 119.
Sagred. l. c.*